

Dei hominumque mediator, *1. Tim. 2. v. 5.* sic & una Christianorum fides est, *Eph. 4. v. 4. 5.* quâ Redemptorem suum apprehendunt, per cuius solius gratiam nos salvari credimus, quemadmodum & Patres, *Act. 15. v. 11.* Hinc Ecclesia ob eisdem fidei confessionem consensumque mutuum, *una* nominatur in symbolo; & præfigurata est per unam arcam, *Gen. 6. v. 14.* per unam vineam, *Psal. 80. v. 9.* per unum hortum, *Cant. 4. vers. 12.* per unam columbam, *Cant. 6. v. 8.* per unum ovile, *Job. 10. v. 10.* Et hinc unum corpus dicimur, *Rom. 12. v. 5.* imò unus in Christo, *Gal. 3. v. 21.* Ut enim in malo punico multa grana capsulis distincta uniuntur: sic Christianos singulos per unitatem fidei & consensus mutui copulari oportet. Videamus igitur, ut quivis cum Jobo dicere queat: *Et ego scio, & ego cum aliis credo, nec peregrinum dogma teneo. Ab uno sumus Patre, qui nos adoptat; sub uno sumus capite, quod nos gubernat; In uno sumus spiritu, qui nos sanctificat; unum est verbum, per quod vocamur; unus est finis, quò tendimus; una est via, per quam incedere debemus: Regnet igitur inter nos unitas fidei, ne dissentiamus; & unitas charitatis, ne proximo noceamus:*

Sint unum maneantq; unum, fateantur & unum,

Qui unum de Christi nomine nomen habent.

CIV.

II. De certitudine fidei & salutis. Fides Pontificiis *De certitudine fidei*
ignorantia est quoad *ἴσως*, & dubitatio quoad *πράξιν*: sed *& salutis.*
Jobo est notitia in mente, & fiducia in voluntate. Fateatur enim se scire, sibi que certò persuasam esse, quòd Redemptorem habeat, eumque vivum, cuius gratiâ sit resurrecturus è mortuis, & beatâ visione fruiturus in cœlis. Hoc confirmant particulæ specialis applicationis, *novi Redemptorem MEUM: In carne MEA videbo DEUM; oculi MEI conspècturi sunt illum,* quæ particularis applicatio vera *πληροφωρίας* notâ est. Valeat ergo incerta & infida illa fides Papistica: valeat desperationis plena dubitatio. Nos cum Jobo novimus Redemptorem nostrum vivere: Novimus, eum nobis propiti-

V. T. Vol.

Disp.

K

um